

3

1399, 4 marzo.

*Ser Cipriano fu ser Zanino da Spalato vien condannato a pagare a Cressiolo Parvo (Piccolo) fu Giovanni da Zara, le spese da questi sostenute nel far sollevare dal mare un naviglio sommerso nei pressi dell' Isola Lunga, distretto di Zara.*

In Christi nomine amen. Anno incarnationis eiusdem M<sup>o</sup>CCC<sup>o</sup>LXXXVIII, indictione VII, die IIII mensis martii.

Nos Colanus de Ginnanis, Bartolus de Milano, absente ser Colano de Figaçolo tertio iudice collega nostro, iudices curiarum consulum et maris ciuitatis Jadre, uisa, audita et intellecta petitione Cressioli Parui quondam Johannis de Jadra, coram nobis in iuditio facta contra uirum nobilem ser Ciprianum quondam ser Zanini de Spaletto, coram nobis in iuditio constitutum et intelligentem ac legiptime citatum per hec uerba, uidelicet: «Coram uobis nobilibus et sapientibus uiris dominis iudicibus curie consulum et maris ciuitatis Jadre, conqueror et conquerenter expono ego Cressiulus Paruus quondam Johannis de Jadra, de nobili viro ser Cipriano quondam Zanini de Spaletto, in eo videlicet quod cum quoddam navigium, cuius due tertie partes erant Honofrii ser Johannis de Florentia, et reliqua tertia pars erat dicti Cipriani, esset submersum in fundo maris in districtu Jadre prope insulam Magnam in loco uocato Smocouïça, dictus Ciprianus me, dictum Cressiolum, rogauit et mihi comisit quod dictum nauigium facerem subleuare, et mihi promisit reficere, soluere et restituere totam suam tertiam partem, ei contingentem, expensarum quas fecerim in subleuari faciendo dictum nauigium, ut patet quadam cedula scripta manu dicti Cipriani, quam produco pro meis iuribus coram uobis; quod quidem nauigium, ego Cressiulus predictus, subleuari feci, in qua subleuatione expendidi ducatos uiginti quatuor auri, absque labore meo; et cum pluries de plano requisivierim dictum Ciprianum ut mihi daret et solueret ac restitueret ducatos octo auri pro tertia parte dictarum expensarum sibi tangente, idem Ciprianus hoc facere recusauit et adhuc recusat, petitionem meam in contemptum penitus deducendo in maximum dampnum et preiuditium mei suprascripti Cressioli. Igitur ego supradictus Cressiulus, omnibus uia, modo, iure, usu et forma quibus melius possum, uos dominos iudices antedictos requireo, per uos et uestram sententiam, cogi et compelli ac sententiari et condemnari dictum Ciprianum ad mihi dandum et restituendum dictos octo ducatos auri, pro tertia parte ipsum, ut premicetur, tangente de expensis predictis, cum expensis legiptimis factis et fiendis occasione litis et extra, salvo mihi iure meo quod habeo contra dictum Ciprianum occasione laboris mee persone et omni alio iure addendi, minuendi etc.». Et uisa et lecta cedula predicta, scripta, ut dicitur, manu dicti Cipriani, producta coram nobis in iuditio per dictum Cressiolum, cuius tenor per omnia talis est: «1378, die V de mazo. Sia manifesto a tutti che io Ziprian de ser Zanin son conteto essio comisso a ser Crissolle Prizollo che debia far spissa delleuar lo nauillio lo qual azo in companiga chon ser Nofrio de oni cossa zoche me tocha ala parte mia benado ser Carsse aza che nog siamo insembron per far la razon e de le